num honorem ; item Augustinus non de hoc vitio illum reprehendit. Aliter idem Turrecrem., in fine textus, ait illum esse perjurum, quia alius, cui exhibet juramentum, putat lapidem esse sanctum, id est, sub aliqua habitudine assumi ad verum juramentum præstandum ; et *juramentum* (inquit) *interpretandum est secundum intentionem illius , qui rectus est, et dolum non prætendit.* Sed, licet hoc habeat locum in præsumptione externi fori, vel quoad aliquam aliam obligationem justitiæ, non vero quoad vim juramenti, nec quoad veram transgressionem ejus, ut postea videbimus.

13. *Vera expositio.*— Alii dicunt, illum vere jurare, quia habet intentionem jurandi, per quam virtute refert creaturam, seu lapidem ad Creatorem, licet cogitatione et existimatione non referat, et ideo vere etiam esse perjurum. Sed hoc etiam gratis supponitur, quia contrarium colligitur ex textu; illi enim quos redarguit Augustinus, putabant se non jurare per lapidem, quem sanctum non existimabant; ideo enim putabant se non pejerare, etiamsi falsum dicerent; quomodo igitur jurandi intentionem habebant? Repugnat enim hæc intentio cum illa existimatione; unde ad habendam illam, potius oportuisset ut crederent illud esse juramentum, etiamsi per lapidem sic conceptum fieret, et tunc consequenter necessario putarent, jurare illo modo falsum, esse perjurium, cum perjurium non sit nisi juramentum cadens supra mendacium. Præterea, in eo etiam casu illud non esset juramentum in re ipsa, sed tantum putatum, ut supra, lib. 1, c. 7, tetigi, et consequenter nec obligaret in re, sed ex conscientia erronea, et tantum illa durante; et simili modo esset perjurium in fractione ejus. Denique Augustinus non redarguit istos, quia intentionem jurandi habebant, sed quia proximum fallebant. Videtur ergo probabile, illos non reprehendi ut reos veri perjurii, sed ut reos injustæ deceptionis, vel ad summum vocari reos perjurii quoad speciem et scandalum, quia doloso juramento utebantur, quod alii accipiebant ut verum juramentum, quia putabant fieri per lapidem ut sanctum in dicto sensu, id est, cum relatione ad Deum. Et ita illius juramenti transgressio apparebat aliis perjurium, et ratione scandali contrahere poterat illam malitiam; re tamen vera illud sic factum non est juramentum, nec obligationem religionis in re ipsa inducit. Et ita non obstat textus ille assertioni nostræ.

CAPUT VII.

UTRUM AD OBLIGATIONEM JURAMENTI PROMISSORII REQUIRATUR DELIBERATUS CONSENSUS, ET INTENTIO JURANDI AC SE OBLIGANDI.

1. *Duæ obligationes quæ ordinarie in juramento sunt.*— Diximus de conditione requisita ex parte ejus per quem juratur; dicendum jam est de conditione necessaria ex parte jurantis, quæ maxime est libera voluntas ejus, quia sine illa juramentum fieri non potest, multo ergo minus poterit obligare. Ut autem hæc conditio distinctius declaretur, oportet distinguere duo, quæ in hac actione concurrunt, scilicet, promissio et juramentum, ex quibus (ut supra notavi) duæ obligationes diversarum rationum consurgunt ordinarie ac per se loquendo, scilicet, obligatio promissionis et juramenti. Dico autem ordinarie loquendo, quia interdum prior impediri potest vel separari a posteriori, ut supra tactum est, et in sequentibus etiam dicetur. Ad utramque autem obligationem requiritur voluntas, ut constat, quia utraque actio, tam promittendi quam jurandi, humana est, et ita utraque etiam obligatio est moralis. In præsenti ergo non agimus per se de deliberatione vel intentione requisita ad promittendum, vel ad se obligandum illa obligatione, quæ ex promissione resultat. Hæc enim materia per se spectat ad materiam de Justitia, vel de Veritate, et Fidelitate, et non est per se connexa cum juramento, ut ex dictis constat. Habet tamen magnam affinitatem cum materia de Voto, propter convenientiam quam habent in ratione promissionis, et ideo nunc supponimus, ad hanc promissionem, et obligationem ejus, necessariam esse liberam voluntatem cum sufficienti advertentia et judicio rationis, qualis adactum deliberatum, vel (ut dici solet) ad peccandum mortaliter sufficere possit. Quomodo autem hoc intelligendum sit, in materia de Voto declarabitur.

2. *Necessariam esse intentionem jurandi in juramento promissorio ut obliget.*— His ergo suppositis circa juramentum promissorium, dicendum est primo, ut obligationem inducat, necessarium esse ut ab intentione jurandi procedat. Hoc certum est apud omnes, D. Thom., d. q. 89, art. 7, ad 4; et ibi Cajetan. et Soto; et Covar. supra, § 5, n. 2; et Panorm., in c. *Veniens,* de Jurejur., num. 4, cum Glossa ibi, et in c. *Hoc videtur,* § *Quæritur,* 22, q. 5. Et

probatur, quia juramentum sine intentione factum non est juramentum, ut l. 1, in princ., dictum est; ergo neque obligationem potest inducere, quia quod non est, non operatur. Item verba non habent vim obligandi, nisi ratione consensus, ut constat in matrimonio, et in omnibus contractibus, et in professione ac votis. Et ratio est, quia interior voluntas est quasi anima verborum, nec verba habent efficaciam, nisi ut sunt signa mentis. Est autem hæc assertio intelligenda de obligatione per se, et ex vi juramenti; nam ex rationibus extrinsecis poterit oriri obligatio ex juramento exteriori, etiamsi animus defuerit. Primo, ratione justitiæ, si ob eam causam alter, cui fit juramentum, grave aliquod nocumentum passus sit, ut si virgo consensit in petitionem ejus, qui dolose promisit, et juravit se ductum illam. Sed in hoc, et similibus casibus, obligatio non nascitur per se ex juramento, ut tale est, sed ex iniqua deceptione, quæ est injusta causa illius nocumenti: et juramentum ibi concurrit ut augens deceptionem ex parte jurantis, et reddens illam magis probabilem, et excusabilem ex parte alterius, qui damnum est passus. Vide Sylv., verb. *Juramentum,* 4, q. 19, et alios Doctores citatos. Secundo potest obligatio oriri ratione scandali vitandi, quæ ad charitatem per se spectat, et potest pertinere ad religionem, quatenus publica illa species perjurii in irreverentiam Dei cedit, vel quia inducuntur alii ad similia perjuria, vel dolosa juramenta facienda. Quam grave autem peccatum sit ita jurare in dolo, dicam in libro sequenti.

3. *Ut juramentum promissorium obliget, intentio sufficienter libera requiritur.* — Dico secundo : ut juramentum promissorium obliget, necessarium est ut intentio jurandi sit sufficienter libera, seu deliberata, ea saltem deliberatione et advertentia, quæ ad peccandum mortaliter sufficeret. Hæc etiam assertio communis est Theologis, in 3, d. 39, ubi specialiter videri potest Richard., d. art. 3, q. 1; Sylv., verb. *Juramentum,* 4, q. 9; Ang., verb. *Juramentum,* 5, n. 8; Navar., c. 12, n. 10; Abbas, in c. *Si vero ;* et Joan. Andreas, in c. *Sicut ex litteris,* de Jurejur. Et probatur ex dictis lib. 1, c. 1, quia ibi diximus, ad verum et proprium juramentum, necessarium esse ut cum sufficienti deliberatione fiat; ergo idem a fortiori erit necessarium ad juramentum promissorium, ac subinde ad obligationem ejus. Item ad voti obligationem requiritur similis deliberatio; ergo et ad obligationem juramenti. Probatur consequentia, quia etiam obligatio juramenti est moralis, et voluntarie sumitur. Denique hæc obligatio, quæ ex juramento promissorio nascitur, obligat ex genere suo sub reatu culpæ mortalis; ergo requirit saltem eam deliberationem, quæ ad peccandum mortaliter necessaria est. Antecedens supponitur ex dictis, et infra etiam, lib. 3, latius tractabitur. Consequentia vero probatur, quia non minor libertas necessaria est ad se obligandum sub mortali, quam ad transgrediendam obligationem cum lapsu mortali. Dices, saltem sequi cum proportione, si juramentum promissorium factum est cum imperfecta deliberatione , quæ ad peccandum venialiter sufficeret, obligare etiam sub veniali ad implendum promissum. Respondetur negando consequentiam, quia ex actu indeliberato non potest intrinsece oriri obligatio ad actum, qui postea pleno judicio, et deliberatione præstandus est, sed est liberum homini ea, quæ per surreptionem et indeliberationem protulit, postea maturo consilio retractare ; neque privandus est homo hac libertate propter indeliberatum actum præcedentem; privaretur autem illa libertate, si sub veniali culpa obligaretur ad implendum juramentum indeliberate emissum. Et hac ratione etiam votum indeliberate factum non obligat etiam sub veniali, quia semper est integrum homini deliberare, circa ea quæ indeliberate egit, et ea retractare : sed de hoc puncto in tractatu de Voto agendum est, et ideo hæc nunc sufficiunt.

4. *Satis est, ut juramentum obliget, deliberata intentio jurandi, licet non adsit intentio promittendi nec implendi.* — *Quadruplex esse potest intentio.* — Dico tertio : ut juramentum obliget, satis est ex parte jurantis voluntaria ac deliberata intentio jurandi, etiamsi non adsit intentio promittendi, se obligandi, aut implendi quod juratur. Hæc assertio non est tam certa, sicut præcedentes, nam multi videntur sentire oppositum. Ut ergo explicetur et probetur, quatuor intentiones ex parte objectorum possumus in hoc actu distinguere. Prima est intentio jurandi, de qua dictum est, in qua omnes conveniunt sine illa nihil fieri. Secunda est intentio promittendi. Tertia est intentio se obligandi ; quamvis enim ab aliquibus hæ duæ confundantur, necessarium est in præsenti illas distinguere, ut constabit. Quarta est intentio implendi quod juratur, quæ clare est distincta a cæteris. Dicimus ergo in assertione, si prima intentio in juramento promissorio reperiatur, illam sufficere

ad obligationem, etiamsi omnes aliæ desint. Ratio breviter est, quia illa intentio sufficit ut illud sit verum juramentum; sed juramentum semel factum, ipsum ex se et natura sua producit obligationem independenter a voluntate jurantis, supposita materia capaci (quam nos nunc supponimus); ergo. Consequentia evidens est. Major etiam videtur per se nota ex dictis in superioribus de natura juramenti, et actibus ad illud concurrentibus, quia illa est voluntaria et humana invocatio Dei in testimonium veritatis, seu promissionis; ergo est verum juramentum. Minor in superioribus capitibus tacta est; melius autem hic confirmabitur, discurrendo per alia tria membra.

5. *Opinio aliquorum. — Auctoris sententia.* — De secunda ergo intentione, scilicet, promittendi, dixerunt aliqui esse necessariam ut juramentum promissorium obliget, et sine illa priorem intentionem non sufficere. Quod videntur sentire Theologi et Summistæ, quatenus indistincte dicunt, non obligari juramento eum, qui jurat sine intentione se obligandi, licet juret cum animo jurandi; nam indistincte loquuntur de intentione promissionis, vel obligationis. Mihi tamen exploratum videtur, intentionem promittendi non esse necessariam ut juramentum obliget. Probatur, quia supra ostensum est juramentum obligare, etiamsi non cadat in promissionem, sed in simplicem assertionem faciendi aliquid, quod aliquis se facturum affirmat, licet non promittat; ergo licet fingat se promittere, et verba promissionis proferat sine intentione promittendi, si tamen vere et ex animo jurat, ex vi juramenti manet obligatus. Patet consequentia, quia fictio promissionis non tollit materiam quam confirmare possit, nec ab ipso juramento tollit vim ad confirmandam illam; ergo, non obstante fictione promissionis, manebit obligatio ex vi juramenti. Prior pars antecedentis patet, quia cum ficta promissione stat vera assertio de facto futuro; asserit enim aliquis se aliquid facturum, quia promittere non vult, unde licet utatur verbis promissoriis sine intentione promittendi, nihilominus affirmat se facturum; nam hæc affirmatio intrinsece includitur in verbis promissoriis, ut supra declaratum est. At affirmatio est sufficiens materia juramenti promissorii, ut per illud confirmari possit, ut supra ostensum est; ergo illa fictio non tollit materiam sufficientem juramenti promissorii.

6. Quod autem nec effectum talis juramenti impedire possit (quæ erat altera pars antecedentis), patet, quia neque hoc est in potestate voluntatis humanæ, ut statim dicam; neque cadit sub illam intentionem, quia illa tantum est de non promittendo, non vero de non jurando, ut supponitur, nec de impediendo effectu juramenti, quia est longe diversus ab effectu promissionis, ut etiam est ostensum, et intentio non operatur ultra objectum suum. Ergo juramentum illud cadens saltem in simplicem assertionem confirmat illam, et consequenter inducit obligationem veram illam efficiendi; hoc enim est confirmare illam. Confirmatur, ac declaratur in casu de juramento solvendi usuras, si quis cogatur hoc sub juramento promittere, nam licet quis ficte promittat se soluturum, si tamen id affirmat et jurat, tenetur. Probatur, quia juxta veriorem sententiam illa promissio de se est nulla, ut infra ostendam, et nihilominus juramentum obligat; ergo sive fiat cum intentione promittendi, sive non, æque obligabit. Probatur consequentia, quia ibi intentio promittendi est impertinens, quandoquidem non potest facere obligationem validam. Unde concluditur aliter argumentum, quia si intentio promittendi esset necessaria, ut juramentum obligaret, maxime esset ut promissio esset valida, ut in eam cadat juramentum; sed hoc non est necessarium, ut in dicto exemplo constat; ergo neque est necessaria talis intentio ad obligationem juramenti. Neque in hoc video difficultatem alicujus momenti. Et hanc regulam videtur intendere Panorm., in c. *Cum contingat*, de Jurejur., n. 18, 19 et 20, quem sequitur Tabien., verb. *Jurare*, n. 14, et alii quos statim commemorabo.

7. Venio ad tertiam intentionem, scilicet se obligandi, de qua confuse et sine distinctione tractant auctores; magnam tamen lucem afferet distinctio duplicis obligationis, quæ in promissione jurata invenitur: una fidelitatis vel justitiæ, altera religionis seu juramenti, quæ adeo distinguuntur, ut separabiles etiam sint in re ipsa, ut supra ostensum est. Unde a fortiori sequitur posse etiam intentione separari. Potest enim quis habere intentionem non se obligandi per votum ad non ludendum, vel ad dandam eleemosynam, et nihilominus absolute et simpliciter velle jurare, non ludere, seu eleemosynam facere; et similiter potest nolle sponsalia facere, nec se obligare alteri, et nihilominus jurare sine dolo et debita intentione tale matrimonium facere. Quando

ergo cum juramento solum conjungitur intentio non se obligandi alteri homini cui juratur, neque conferendi illi aliquod jus, talis intentio obesse non potest, quominus juramentum obliget sua propria et specifica obligatione. Probatur ex proxime dictis, nam a fortiori ex illis sequitur; qui enim non habet intentionem promittendi vel contrahendi, a fortiori non habet intentionem se obligandi; ergo si intentio non promittendi non obstat obligationi juramenti, nec intentio non se obligandi illo modo obstabit. Sive enim una istarum intentionum possit haberi sine alia, sive non (de quo dicetur infra tractando de Voto), sufficit quod intentio non promittendi includit intentionem non se obligandi ex justitia vel fidelitate, ut inde aperte concludamus, hanc intentionem non se obligandi tali modo non obstare obligationi juramenti. Unde a fortiori concluditur, intentionem se obligandi homini non esse necessariam ad obligationem juramenti, quod proprie et per se respicit Deum, ut supra declaratum est.

8. *Tribus modis potest se habere quis circa intentionem jurandi religiose, et cum obligatione. — Cov. in p. 4, § 5, n. 2, affirmat nostram sententiam.* — Quæstio ergo superest de intentione se obligandi propria obligatione religiosa et juramenti, circa quam tribus modis se habere potest is, qui jurat. Primo, ut illam expresse habeat, et tunc nulla superest ratio dubitandi de obligatione. Secundo, ut neque illam intentionem habeat formaliter, nec contrariam, neque de hoc cogitet, sed pure ac simpliciter habeat intentionem jurandi. Et tunc etiam non est dubium quin tale juramentum obliget, nec oppositum potest censeri probabile, etiam speculative, nedum practice. Probatur, tum ratione facta, quia ille vere jurat, et juramentum de se habet hanc efficaciam, et tunc nullum ei ponitur impedimentum, quia nulla operatur voluntas contraria; cur ergo non obligabit? Tum etiam quia ad obligationem contrahendam non est necesse cogitare distincte, et quasi in actu signato de obligatione, sed satis est velle vovere, velle contrahere, quia ibi virtute includitur voluntas se obligandi, saltem dum illi non resistitur. Ergo idem erit in juramento. Tertio ergo modo potest contingere ut aliquis jurare velit, et simul nolit ipso juramento obligari; quamvis enim hoc raro contingere possit, quia illæ voluntates videntur valde contrariæ, simpliciter non repugnat, quia saltem interveniente ignorantia, cogitare potest quis posse se unum ab alio separare, et nolle manere ligatus, nec omnino fingere juramentum, quia putat minus hoc modo peccare. Nec denique illæ duæ intentiones sunt formaliter contrariæ, quia juramentum et ejus obligatio distinguuntur, sicut causa et effectus; et ideo possunt apprehendi ut separabilia. Positis ergo illis duabus intentionibus, difficultas est an juramentum obliget, et consequenter utrum ad juramenti obligationem requiratur non solum intentio jurandi, sed etiam ne intercedat fictio per voluntatem non se obligandi.

9. In hoc ergo puncto, est multorum sententia, eum, qui jurat cum intentione non se obligandi, non obligari ex vi juramenti. Ita sentiunt multi Scholastici, in 3, d. 39, ubi divus Thomas, quæst. 1, articul. 3, quæstiuncula 3, id significat, sed in sensu longe diverso, ut c. sequent. dicam. Item Bonav. ibi, art. 3, q. 1; Scot., art. 3; Gabr., q. 1, art. 2, conc. 3; Richard., art. 2, q. 2, et in 4, dist. 38, art. 3, q. 3; Sylv., verb. *Juramentum*, 4, q. 7, ubi adducit D. Thom. 2. 2, q. 89, art. 7, ad 4, q. 98, art. 3, ad 1, et 4, dist. 29. Sed de hoc puncto nihil apud D. Thomam reperitur. Idem repetit Sylv., ibi, q. 19; Angel., verb. *Juramentum*, 5, n. 9, 10 et 32, qui referunt alios Canonistas. Idem sentire videtur Medin., Cod. de Confess., quæst. de Dispensat. super confess. revel., ad 2; Guttierez, de Juram., p. 1, c. 57, n. 20. Et citatur etiam Navar., c. 12, num. 28; sed ibi agit de voto, de quo alia est ratio, ut infra dicam; posset tamen allegari in eod. c., n. 8, 13 et 14, sed ibi in alio sensu loquitur, ut ostendam. Citatur etiam pro hac sententia Glos., in c. *Litteraturam*, de Voto, quæ licet prius de voto loquatur, postea generaliter dicit: *Nemo se obligat, nisi qui animum habet se obligandi.* Idem tenent expresse Felin. et Abb., in c. *Si vero*, eod., n. 9, cum Joan. Andr., in c. *Verum*, eod., et in c. *Ad audientiam*, Quod metus causa. Solet ad confirmandam hanc sententiam adduci sententia Greg., in c. *Humanæ aures*, 22, quæst. 5, dicentis obligationem verborum attendi ab ipso Deo secundum intentionem jurantis. Sed non loquitur de intentione se obligandi, sed de intentione significandi per verba, et ita non pertinet ad causam præsentem, sed ad tractandam in capite sequenti, ubi textus ille explicabitur.

10. *Hujus opinionis fundamentum.* — Fundamentum hujus sententiæ præcipuum est,

quia per proprios actus homo non obligatur nisi sua voluntate ; ergo si voluntas resistit, et non vult se obligare, impossibile est oriri obligationem. Secundo, qui non vult se obligare juramento, virtute non vult jurare serio et vere, sed tantum ficte, et apparenter, quia illa duo contradictionem involvunt : et ideo non potest utramque serio et absolute velle. Quod si dicas, interveniente ignorantia connexionis, posse aliquem utrumque velle, eo ipso magis concludit ratio ; nam consensus per deceptionem datus non obligat ; ut si quis vellet matrimonium contrahere animo non se obligandi ad reddendum debitum, vel si vellet vovere, aut profiteri religionem animo non se obligandi ad obediendum, etc., nihil ageret, quia revera non vult matrimonium, vel professionem prout in re debet fieri, sed prout falso cogitatur ; ergo similiter, etc. Tertio, si quis intenderet jurare hoc modo : *Volo jurare, dummodo non obliger*, vel per hoc non obligaretur, quia est consensus conditionatus contra substantiam contractus, vel cujus conditio non potest subsistere stante actu, sicut patet in exemplis de matrimonio vel religione positis. Sed qui habet voluntatem jurandi simul cum voluntate non se obligandi, virtute addit dictam conditionem primæ intentioni, ut constat ; ergo non obligatur.

11. *Resolutio quæstionis.* — Nihilominus dicendum est, etiam in eo casu oriri obligationem ex juramento promissorio cum vera intentione jurandi facto. Hæc videtur mihi sententia D. Thomæ, d. q. 89, art. 7, ad 3, et magis ad 4. Nam in priori absolute dicit, juramentum coactum obligare, nulla distinctione adhibita, an jurans habeat intentionem se obligandi, necne, cum tamen in illo puncto esset valde necessaria, si aliquid posset operari ; intentionem autem jurandi supponit, quia de illo loquitur, qui vere jurat. In solutione autem ad 4, addit, obligari jurantem aliquando secundum intentionem alterius, cui jurat, quod esse non posset si jurans non posset obligari, nisi ex intentione se obligandi, de quo latius capite sequenti. Clarius docet hanc sententiam Cajetanus, eod., articulo 7, et Soto, quæst. 1, articulo 7, uterque circa eamdem solutionem ad 4 ; Covar. supra, p. 1, § 5, n. 2 ; Guttierez, lib. 2 Canon. quæst., cap. 22, n. 31, et multi alii moderni. Sumitur etiam ex Sylv., verb. *Juramentum*, 3, q. 2, et Angel., verb. *Juramentum*, quatenus in hoc constituunt differentiam inter juramentum et votum ; inclinat etiam Tabien., dicens esse securius, verb. *Jurare*, n. 11.

12. *Probatur opinio vera.*—Probatur autem primo, quia licet in voluntate hominis sit jurare vel non jurare, non est tamen in potestate hominis ex juramento præstito non obligari ; ergo qui vult jurare, quantumvis nolit obligari, necessario obligatur. Consequentia est evidens, quia qui potest adhibere causam, et non potest effectum ejus impedire, si vult applicare causam, et cum effectu applicat, necessario vult effectum, etiamsi maxime nolit ; ut qui vult applicare ignem domui, voluntarie quidem ponit causam, sed effectus necessario sequitur independenter a voluntate ejus ; ita ergo erit in præsenti, stante veritate antecedentis. Antecedens ergo explicatur, et probatur ex doctrina supra tradita de duplici obligatione juratæ promissionis, ad hominem et ad Deum. Inter quas hæc potest notari differentia, quod obligatio promissionis est per se et directe intenta, imo est quasi primum objectum voluntatis promittendi, ut in tractatu de Voto latius dicetur ; obligatio autem juramenti non est directe intenta, quia per juramentum nihil homo offert Deo, sed potius obligat ipsum Deum (ut sic dicam), ut suæ assertionis vel promissionis sit testis, aut quasi fidejussor ; et inde (non jam ex voluntate sua, sed ex naturali lege) obligatur homo ad verum faciendum testimonium Dei. Declaratur optime humano exemplo, nam si quis vocavit hominem ut esset fidejussor suæ promissionis, eo ipso obligatur fidejussori, nec per voluntatem contrariam potest talis obligatio impediri ; ita ergo est cum proportione in præsenti.

13. Unde argumentor secundo, quia si homo ex animo, et cum vera intentione jurandi, jurat se aliquid facturum, eo ipso adducit Deum in testem non solum præsentis veritatis, sed etiam assertionis de futuro ; ergo eo ipso, et ex necessitate obligatur ad faciendam veram illam assertionem de futuro, quantum in ipso fuerit ; ergo non potest excusari ab hoc debito per quamcumque voluntatem non se obligandi. Probatur consequentia, quia talis voluntas est contra naturalem legem juramenti, et contra divinum honorem, et contra sui testimonii auctoritatem ; ergo non potest talis voluntas non se obligandi habere effectum, quia non potest esse efficacior ad non obligandum, quam naturalis lex, vel quam divina religio ad obligandum. Unde ut talis voluntas impediret obligationem, deberet impedire ne fieret juramentum, nec Deus cum

effectu in testem adduceretur ; at in casu (ut supponitur) non hoc facit voluntas, sed vult componere juramentum validum cum non obligatione, quod impossibile est.

14. *Declaratur amplius assertio.* — Tertio declaratur amplius, nam si quis velit jurare assertionem de præsenti vel præterito, et non obligari ad dicendum verum, non potest, sed pejerabit, si falsum juret, quantumvis nolit ratione juramenti obligari ad dicendum verum ; ergo similiter qui jurat assertionem de futuro, non potest non obligari ad illam veram faciendam, etiamsi maxime velit. Unde confirmatur quarto, et declaratur amplius, quia alias sequitur non esse peccatum mortale, quempiam jurare se aliquid facturum, animo non faciendi ; consequens est falsum, ut auctores utriusque sententiæ fatentur, quia illud est perjurum assertorium ; ergo. Probatur sequela, quia si ego possum jurare et non me obligare pro voluntate mea, non erit peccatum saltem mortale id facere aut velle, quia in hoc nemini fit injuria ; ergo nec erit peccatum habere propositum non faciendi quod juratur. Nam si quis sciat se non futurum postea obligatum, scit etiam se non peccaturum postea id non faciendo ; ergo nec antea peccabit habendo propositum non faciendi. Dices peccare mortaliter illum, qui jurando aliquid faciendum, vult non se obligare, quia facit in hoc injuriam Deo. Sed contra, quia vel hoc non stat cum contraria positione, vel inde melius concludimus intentum. Nam si est injuria Dei velle non obligari jurando, ergo juramentum ex se, ac sua vi et natura obligat ; ergo non potest voluntas humana obligationem impedire. Item voluntas impediendi obligationem Deo debitam non potest esse valida et efficax ; ergo non potest talis voluntas impedire obligationem juramenti.

15. *Advertendum.* — Priusquam respondeam ad fundamenta contraria, adverto, ne quis moveatur numero auctorum, illos indifferenter loqui de juramento ita doloso, ut fictum etiam sit, unde sub intentione non se obligandi, includunt etiam intentionem non jurandi ; nunquam tamen satis distinguunt illas duas intentiones, nec dicunt, stante vera intentione jurandi, posse impediri obligationem per voluntatem jurantis, nolentis se obligare. Moderni autem, qui illas clarius distinguunt, fere omnes nostram sententiam sequuntur, et si qui dissentiunt, statim recidunt ab hypothesi, dicentes intentionem non se obligandi destruere intentionem jurandi, et fictam illam reddere ; quia jam non manet nisi intentio proferendi exterius verba juramenti, non vero solide ac vere jurandi. Sed immerito retrocedunt ab hypothesi quæstionis, et negant illam ; tum quia, ut supra ostendi, juramentum est simpliciter prius obligatione, et non includit illam in sua intrinseca ratione, sed omnino habet illam ut effectum resultantem ; unde nec voluntas jurandi includit in objecto suo obligationem, sed solum invocationem divini testimonii, quæ omnino prior, et distincta est ab obligatione. Tum etiam quia non solum metaphysice, sed etiam moraliter hæc sunt separabilia, ut patebit respondendo ad argumenta, ex quorum solutionibus hæc sententia evidentior fiet.

16. *Fit satis fundamentis oppositæ sententiæ.* — Ad fundamentum ergo contrariæ sententiæ negatur antecedens ; nam aliqui sunt actus humani, per quos obligatur homo etiam nolens formaliter obligari, si velit exercere actum, ex quo naturaliter sequitur obligatio, ut ex injuria nascitur obligat satisfaciendi, et ex damno voluntarie et injuste illato nascitur obligatio restituendi, etiamsi maxime habuerit homo in principio voluntatem non se obligandi. Et ex peccato nascitur obligatio pœnitendi ; et ex actu inducendi alium ut pro me fidejubeat, nascitur obligatio speciali respectu fidejussori, non solum ad satisfaciendum illi, si pro me solvat, sed etiam ad prævenieudum faciendo quod in me est, ad solvendum si possim, ne ille cogatur solvere ; nec est in potestate mea facere, ut ex illa actione non maneam sic obligatus, etiamsi velim. Et ratio omnium est, quia talis obligatio non pendet directe et proxime a voluntate mea, sed tantum remote et in radiee in alio actu, ad quem illa necessario sequitur, neque potest impediri.

17. Unde possumus etiam distinguere illud antecedens, ut sit verum in contractibus, quorum substantia consistit in obligatione, et ideo necesse est includi in consensu ipso et voluntate contrahendi, ut dicemus infra tractando de voto. Secus vero est in actibus, quorum ratio et substantia non consistit in obligatione, sed ad illos sequitur tanquam effectus resultans ; sicut dicebamus de actione injuriosa, damnificativa, et similibus. Et in oratione suo modo invenitur, nam licet voluntarie orem, sequitur obligatio orandi attente ; neque est in potestate mea evitare hanc obligationem, etiamsi maxime cupiam, si cum effectu orare